Quelle: http://manuscripta.at/?ID=944
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

primo statim impetu gothorum. perturbate romanorum equitum turme nudi
peditum deseruere presidia. Mox legiones peditum undique equitatu hostium
cincte nubibus sagittarum obrute sunt. deinde cum amentes metu sparsim
per devia cogerentur. funditus cese gladiis insequentium contisque perierunt. Ipse
imperator cum sagitta sauciatus versusque in fugam egre in cuiusdam villule
casam deportatus lateret. ab insequentibus hostibus deprehensus. subiecto
igne consumptus est. et quo magis testimonium punitionis eius et divine
indignationis terribili extitisset posteris exemplo. etiam communi caruit
sepultura. Consolentur se sane in hoc solo pro vicaria miseriaque gentilium.
quia temporibus et regibus christianis tante simul congeste clades pressam rei
publice oneravere cervicem. everse provincie. deletus exercitus imperator in
census. magnum revera hoc est ad nostrum dolorem magisque miserum quo magis
novum. Sed quid hoc ad consolationem proficit paganorum. qui palam pervident
et in his quoque persecutorem ecclesiarum fuisse punitum. Deus unus unam fidem tradi
dit. unam ecclesiam toto orbe diffudit. hanc aspicit. hanc diligit. hanc defen
dit. Quolibet se se quisque nomine tegat. si huic non sociatur alienus. si hanc
inpugnat. inimicus est. Consolentur se gentiles in quantum volunt. iudeorum
hereticorumque suppliciis. tantum et unum deum esse. et eundem personarum accepto
rem non esse. vel ex hac potissimum valentis exitus probatione fateantur. Gothi an
tea per legatos supplices poposcerant ut illis episcopi a quibus regulam christiane
fidei discerent mitterentur. valens imperator exitiabili pravitate doctores
arriani dogmatis misit. Gothi prime fidei rudimentum quod accepere te
nuerunt. itaque iusto iudicio dei ipsum eum vivum incenderunt. qui propter eum
etiam mortui vitio erroris arsuri sunt. Anno ab urbe condita .i.c.xxxii.
gracianus quadragesimus ab augusto post mortem valentis. sex annis imperium
tenuit. quamvis iam dudum antea cum patruo valente et cum valentiniano
fratre regnaret. Qui cum afflictum et pene collapsum rei publice statum videret.
eadem provisione qua quondam legerat nerva hispanum virum traianum. per quem
respublica reparata est. legit et ipse theodosium eque hispanum virum. et resti
tuende rei publice necessitate apud syrmium purpura induit. orientisque
et trachie simul prefecit imperio. In hoc perfectiore iudicio. quia cum in omnibus
humane vite virtutibus. iste par fuit. iste fidei sacramento religionisque
cultu sine ulla comparatione precessit. Siquidem ille persecutor. hic propagator
ecclesie. ita illi ne unus quidem proprii filius quo successore gauderet indultus
est. huius autem orienti simul et occidenti per succiduas usque ad nunc generationes

Margin notes:

Mors valentis tyranni qui vivus incensus est.

i.c.xxxii.

Gracianus imperator

Theodosius purpura induitur.